5

DISSERTATIO
INAUGURALIS,
DE
IPECACUANHA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ROBERTUS URQUHART, A. M.
BRITANNUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXII.

JOANNI GORDON,

De Invergordon,

Equiti Aurato,

Avunculo ſuo plurimum colendo,

Obſervantiae et pietatis ergo,

Hancce Diſſertationem

D. D. C. Q.

ROBERTUS URQUHART.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30789576

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IPECACUANHA.

REGNUM vegetabile, ſeculo ſuperiore decurrente, materiam medicam Ipecacuanha, medicamento praeſtantiſſimo, ditavit et auxit.

Haec planta apud Braſilias, et juxta fodinas auri Peruvianas, ſponte ſua naſcitur. Homines nocentes, uti ferunt, qui in metalla damnati ſunt, illam colligere conſueverunt. Ipecacuanha autem non ſolum antiquos, ſed etiam recentiores, ad medium ſeculum proximum uſque, prorſus latebat, quum Gulielmus Piſo et Marcgraavius illam deſcribendam curarunt. Item illi in Europam primum invexerunt; ante annum tamen

1672, quo medicus quidam Le Gras, qui regiones Americanas longe lateque peragraverat, Pariſios pervenerit, parum innotuit.

Caeterum, virtutibus illius nondum ſatis patefactis et illuſtratis, per plures deinde annos, oblivioni tradita et ſpreta jacebat; donec, circiter annum 1686, Garnerius quidam, mercator alienigenus, centum quinquaginta illius pondo in Galliam deportavit, et vires ejus ſalutiferas ubique loci concelebravit. Adrianus Helvetius, medicus e facultate Rhenenſi, in uſum univerſum tandem feliciter primus adduxit.

Pericula hujuſce medicamenti, in Noſocomio Pariſienſi, *Hotel Dieu* vulgo vocato, prout accepimus, inſtituta ſunt, et, propter virtutes ejus in lucem prolatas, praemium mille ludovicorum aureorum in Helvetium a Rege Gallorum collatum eſt.

Dr Gibbons primus fuiſſe dicitur, qui ipecacuanha apud Anglos uſus eſt, et cum ſucceſſu tam proſpero, ut omnes fere medici, ubi emetica fortiora non tuto dari poterant,

con-

conſuetudinem illius, in ea praeſcribenda, deinceps imitati ſint.

Duo autem genera ipecacuanhae, ratione locorum habita, commemorantur, nempe Peruvianum et Braſilienſe.

De radice Ipecacuanhae cinereae ſeu Peruvianae.

Haec autem *Bexugillo* et *Rais de oro* ab Hiſpanis appellatur. Eſt radix exigua, calamum anſerinum craſſitie circiter aequans, ſpithamam et amplius longa. Ad Europam adportatur in fruſtula duas treſve uncias longa diviſa: Haec vero nunquam recta, ſed varie contorta; ſuperficies ſcabra, et quaſi annulatim exaſperata. Rugae inter ſeſe parvo intervallo diſtant, et circa reliquam ſuperficiem non parum attolluntur.

Radix denſa et dura, minime lenta, fragilis, reſinoſa, ponderis mediocris. Haud cultro facile ſcinditur.

Color ſuperficiei cinereus vel gryſeus; ſi frangas, dilute fuſcus.

Nervus aſper et firmus, etiamſi perexiguus et gracilis, radicis meditullium occupat,

per

per totam longitudinem ſemper decurrens. In pulverem multo difficilius, quam cortex, redigitur; haud aeque reſinoſus, et potentiae longe minoris. Color hujuſce, ſi cum caeterarum partium colore conferatur, quodammodo ſibi proprius ac peculiaris.

Odor totius radicis perquam ſingularis, nonnihil pungens, nec ingratus. In pulverem redactus, odorem mucidum emittit. Poſt exſiccationem, odor nullus notabilis.

Sapor aliquantulum acris et amarus, in ſumma admodum ingratus.

Hancce ſpeciem, in officinis, fere ſolam offendes.

De radice Ipecacuanhae fuſcae ſeu Braſilienſis.

Haecce radix priorem, omnibus characteribus, plurimum refert; caeterum forſitan magis tortuoſa et convoluta, tenuior breviorque. Rugae annulares altius attolluntur. Fruſtula ejus pauciſſima calamum corvinum craſſitudine, ſeſquipollicem longitudine, excedunt.

cedunt. Pars exterior colorem ſaturate fuſcum vel ſubnigrum, interior album, habet. Sapor minus acris, magis amarus. Odorem minus inſignem diffundit.

Ipecacuanha cinerea aut Peruviana alteri praeponitur, quod vomitum lenius excitat. Fuſca vehementius agit, et motus ventriculi violentiores ciere ſolet.

Utra harum adhibebitur, ſit dura, firma, ſolida, ab inquinamentis repurgata, nec pulverulenta, nec friabilis: Annoſa tamen haud reſpuenda; cum in plures annos conſervari, et vires medicas nihilominus retinere, queat. Quae radices ampliores et magis compactae, et ſpeciem reſinoſam prae ſeſe ferunt, optimae ſunt; quae vero graciles, ſaturate fuſcae, quaeque fibroſae, peſſimae. Praeter ipecacuanham cineream et fuſcam, alba et flava quoque commemorantur; cum vero hae plantae ab illis genere diſcrepent, nec adhuc in uſu ſint, de iis fuſius dicere vix neceſſarium duco.

Cum ipecacuanhae nomina inter ſeſe longe diverſa auctores indiderint, quae libros

ſuper

ſuper re botanica et materia medica conſcriptos legenti ſaepius occurrunt, ea leviuſcule percurrere haud alienum foret.

SYNONYMA.

Ipecacuanha officinalis Pomet.; *Hipecacuanha* Baglivii; *Ipecacuanna* Marcgraavii; *Ipepocoanha* Marl. obſ.; *Ipecaya* ſeu *Pygaya* Laet.; *Ipecacoanha*, *Bexugillo*, et *Rais de oro*, Hiſpanorum; *Ipecacuana*, &c. Anglice *Braſilian root*, *Ipecacuan*, *Indian vomiting root.*

Claſſis, &c. *Ipecacuanhae in Syſtematis Botanicis.*

Raius celeberrimus, ipecacuanham inter herbas bacciferas, ſub genere cui nomen *Herba Paris Braſiliana polycocos*, collocavit. Nonnulli botanici in claſſem plantarum repentium retulerunt; ob quam rationem quoque, a Moriſonio ingenioſo, *Planta Braſiliana periclymeno accedens floſculis congeſtis albis*, denominatur.

Peri-

Periclymenum parvum Braſilianum a Plukenet vocatur.

Linnaeus, in Generibus ſuis plantarum, anno 1737 in lucem editis, ſub genere *Ouragoga* delineavit*. Ouragogam vero ſeu ipecacuanham, in eodem libro anno 1742 typis rurſus mandato, ſilentio prorſus praeteriit. In tractatu ſuo de materia medica, anno 1749 juris publici facto, ut *Loniceram*, cui Ouragoga ſynonyma, depinxit. Anno etiam 1759, quo quartum volumen Amoenitatum Academicarum in lucem emiſit, in prima diſ-

* Ouragoga, gen. 934.

Cal. perianthium quinque-partitum, laciniis lanceolato-linearibus, aequalibus, perſiſtentibus. Cor. quinquifida. Stam. quinque. Piſt. germ. intra calycem et corollam. Styli numero incerti. Per. bacca ſubrotunda, unilocularis, calyci inſidens, umbilicata. Sem. tria, oſſea, hinc gibba, inde angulata, approximata in globum, unilocularia, ſingula ſex ſulcis exarata.

Radix longiſſima. Caulis rariſſime ramoſus, decumbens, inferne nudus. Folia verſus apicem oppoſita, obverſe ovata, utrinque acuta, ſcabra, ſubtus pallidiora, duorum pollicum latitudine, trium longitudine, internodiis caulis vix pollicis longitudine.

diſſertatione de plantis officinalibus, titulo *Lonicera*, ſed nomen ſpeciei non adjecit, donavit. Caeterum, in Speciebus plantarum anni 1762, ſub genere Lonicera, nullam mentionem de ſpecie Ouragoga fecit; ideoque tunc temporis characteres ejus ſpecificos ignoraſſe videtur. In Specierum plantarum editione ſecunda anni 1762, Ipecacuanha ſpeciei cujuſdam *Euphorbiae* nomen triviale eſt; non vero ipecacuanham officinalem, ſed ſpeciem euphorbiae, quae apud Virginiam creſcit, et ibi aliquando pro emetico uſurpata, et a quibuſdam ipecacuanha nuncupata fuit, ſignificaſſe, clariſſime conſtat.*

Ex omnibus igitur ſupra propoſitis, Linnaeum characteres ipecacuanhae adhuc neſciiſſe pateſcit.

Philippus

* Euphorbia ipecacuanha inermis, foliis oppoſitis, pedunculis unifloris, ſolitariis, longiſſimis. Tithymalus flore exiguo viridi, apicibus flavis, antequam folia emittit florens foliis glabris acuminatis, ad cordis formam accedentibus, nervoſis, rigidis, radicibus albis reptatricibus, nonnullis ipecacuanha. A nonnullis, praecipue incolis borealibus, temere ad vomitum ciendum interne uſurpatur. Clayt. N. 555.

Philippus Millar, Dictionarii Hortulani auctor, jure laudatus, ſpecimen hujuſce plantae integrae a D. Gulielmo Houſtonio accepit, et *Trioſteum* eſſe judicavit.

Hocce ſpecimen exſiccatum, anno 1766, D. Johanni Hope, Botanices Profeſſori noſtro celeberrimo, oſtendit, cui, ex ſpecie quam radix prae ſeſe ferebat, Ipecacuanham officinarum cineream eſſe perſuaſum eſt: Illi tamen fructificationis partes explorandi occaſio defuit.

Genera duo, *Lonicera* et *Trioſteum*, affinitate quidem conjunctiore gaudent; et vix aliter, quam longitudine laciniarum calycis numeroque ſeminum ſolis, a ſeſe invicem diſtinguuntur. Cum vero haecce diſcrimina non facile Millar, botanicum ſagaciſſimum, fefelliſſe poſſent, ipecacuanham ad genus Trioſteum, exemplum illius ſecutus, relegare malo; praeſertim cum Linnaeus, in Horto Cliffort. ad Trioſteum propius accedere confiteatur.

Num ipecacuanha Peruviana et Braſilienſis ſpecies diverſae, ſeu tantum ejuſdem plantae

varietates ſint, ſeu genere differant, pro certo ſtatuere nequeo.

Indoles Ipecacuanhae acris.

Ea radicis hujuſce, cujuſcunque generis ſit, indoles acris eſt, ut, in quantitate illius in pulverem ſubtilem redigenda occupati, ſi non particulas e mortario ſurſum elatas curioſe refugiunt, paulo poſt, forſitan protinus, difficultate ſpirandi, ſanguinis ſputo, interdum haemorrhagia narium, tumore et inflammatione oculorum et faciei, nonnunquam faucium et gulae, ſaepius corripiantur. Ante aliquot annos, noſmetipſos quoque, dum hancce radicem contunderemus, ſpiritum difficilius traxiſſe meminimus. Quo vero effectus moleſti, ſupra commemorati, ex toto vitentur, pulvis aqua humectetur neceſſe eſt. Haecce ſymptomata quidem, paucis diebus, plerumque ſponte decedunt; ſi vero praeter conſuetum violenta, venaeſectio forſitan neceſſaria fiet.

Ipeca-

Ipecacuanha chemice tractata.

Si radicem hancce diſtillationi ſiccae in retorta ſubjicias, elicitur primum phlegmatis aliquid, dein pauxillum ſpiritus acidi, tandemque nonnihil olei. Braſilienſis plus ſpiritus acidi, minus olei, quam cinerea, edere dicitur. Hinc auctor hujuſce experimenti vim Braſilienſis majorem explicare conatur. Ex analyſi chemica tamen, effectus, quos medicamentum in corpus humanum edit, illuſtrari poſſe, haudquaquam ſperandum eſt; quoniam, inter torturam chemicam ſubeundam, principia evolvi poſſunt, quae ſub illa forma in corpore integro neutiquam exſtiterunt, et ab igne ſolo, vel arte chemici, quem talia phaenomena fallere queant, praeſertim ſi ullius theoriae propriae tuendae avidior ſit, originem forte ſibi deducunt.

Haec de analyſi ipecacuanhae chemica, unde plus oblectamenti quam verae utilitatis oritur, obiter notavimus.

Ipe-

Ipecacuanha pharmaceutice tractata.

Ope artis pharmaceuticae, in ipecacuanha gummi et reſina deprehenduntur.

Experimenta ex variis menſtruis inſtituta.

Ipecacuanha, ex aqua decocta, illi ſpiſſitudinem adeo mucilaginoſam et tenacem impertitur, ut decoctum per linteum craſſum, poroſum, percolatu difficile ſit, et validiore quidem expreſſione indigeat.

Ex ipecacuanhae Peruvianae unc. viii. reſinae drach. x. ſpiritus vini extraxit *.

Eadem radicis quantitas aquae communi extracti gummoſi unc. iii. ſs. praebebat. Pulveris reſiduum, gummi et reſina accurate remotis, unc. iv. pondus aequavit.

Ipecacuanhae fuſcae unc. viii. reſinae drach. vi. ſuppeditarunt.

Ex eadem radicis quantitate, ope aquae communis, gummi drach. xi. prodierunt.

Pulveris

* Geoff. Mat. Med. p. 92. vol. II.

Pulveris unc. vi. ex radicis unc. viii. gummi et reſina rite ſeparatis, reſtabant.

Ipecacuanhae Peruvianae lib. i. ſi cura debita adhibeatur, ſpiritui vini reſinae purae unc. iii. reddituram eſſe, nonnulli notarunt.

Fuſcae eadem copia reſinae unc. ii. vel nonnihil amplius, praebebat.

Ex utriſque multo plus extracti gummoſi aqua poſtea eliciebat; Peruviana vero quantitatem hujuſce quoque maximam ſuppeditavit.

In alio experimento, ex uncia una Peruvianae gummi drach. iii. aqua, ſcrup. iv. tantum ſpiritus vini extraxit.

Monendum vero, corticem ſolum, ligno ut materia inerte prorſus rejecto, extractioni adhibitum fuiſſe.

Omnia pericula, ſupra comprehenſa, copiam extracti gummoſi majorem, auxilio aquae, quam cujuſlibet alius liquoris, parari poſſe demonſtrant.

Proventus quoque Peruvianae uberior.

Licet autem gummi et reſina, pro principiis valentioribus vulgo habita, in Peruviana

ana magis, quam in Braſilienſi, abundent; hanc tamen vomitum concitandi facultate inſigniore, quam illam, pollere, experientia docet.

Hic loci quaeſtiones duae nobis occurrunt, quae attentionem noſtram haud dubie merentur.

1. Quaenam pars radicis potentiſſima ſit?

2. In quonam principiorum, quae jam commemoravimus, emetica ipecacuanhae virtus reſideat?

Quod priorem ſpectat; corticem parte lignoſa potentiorem eſſe, inter omnes fere convenit. Inter ipecacuanham in pulverem redigendam, omnes partes inter ſeſe pharmacopolae probe commiſcent, ut vires totius miſturae ex toto aequales fiant; partem enim primum contuſam caeteris fortiorem exiſtimant.

Quod ad poſteriorem attinet; vim ipecacuanhae emeticam parti reſinoſae ſoli, idque ob rationes varias, auctores ineſſe putarunt; praeſertim quod, ea menſtruo ſibi accommo-

dato

dato extracta, reliquiae, prout illi contendunt, nulla dote emetica praeditae ſunt. Hoc autem hactenus in dubio verſatur.

Extractum gummoſum vix omnino ad vomitum conciendum valere, ſed vi aſtringente pollere, affirmant. Experimenta vero, ipecacuanham nulla poteſtate aſtringente notabili gaudere, ſatis evincunt.

Pulverem, qui de infuſis ſpirituoſis et aquoſis ſupereſt, prorſus inertem eſſe, doſi etiam majore ſumptum, quidam aſſeverarunt.

Sin hae virtutes ipecacuanhae revera inſint, dummodo principia ſingula, ſingulis ſeu reſinoſis, ſeu gummoſis, menſtruum ſuum accommodando, per ſeſe elicere conareris, haud parum luminis indoli medicamenti forſan offunderes. Inveſtigationes tamen hujuſcemodi eo minus neceſſariae ſunt, quod radix, per ſeſe data, melius forſitan unicuique medentis conſilio, quam quodlibet ex illa praeparatum, conveniet.

De Virtutibus Ipecacuanhae medicis.

Medici jam tandem tale emeticum, quale Sydenhamius, artis ſuae decus, olim vehementer exoptavit, adepti ſunt; nimirum, medicamentum, quod vomitum exſuſcitaret, et ſimul quibus emetica tunc temporis vulgo praeſcripta ſtipata ſunt, incommodis nullis pateret. Curantes enim, ſeculo illo labente, ad vinum Benedictum, prout leniſſimum et mitiſſimum remediorum vomitum moventium, neceſſitate coacti, confugerunt. Sydenhamii autem verba ſequuntur: "Praetereundum non eſt, omnino tutum non eſſe vomitoria ex infuſione croci metallorum parata puerulis, aliiſque infra adoleſcentiam conſtitutis, vel minima quantitate exhibere. Optarem equidem ut, illius loco, alia nobis tutiora, ſed ſatis interdum efficacia, ſuppeterent, quae humorem hunc, in febris declinatione, fere ſemper diarrhoeam minitantem, radicitus extirpare poſſint."

Si

Si uſus antimonialium, doſibus parvulis, tunc temporis, innotuiſſet, nulla cauſa foret, cur Sydenhamius emeticum magis utile adeo deſideraſſet.

Cum ipecacuanha ob vim emeticam maxime inſignis ſit, priuſquam ad mala varia, in quibus hocce medicamentum in auxilium vocatur, recenſenda progrediar; de emeticis in genere, de eorundem actione, de diverſis affectibus in quibus utilia ſint, quaedam praefari, et denique breviuſcule indigitare, quibus rebus ſubſtantibus, cum cautela praecipienda, vel penitus ut periculoſa vitanda ſint, haud alienum eſſe videtur.

Quae de emeticis, caeteriſque, in genere dicentur, ad ipecacuanham quoque ſpectabunt; et igitur de ea fuſius diſſerere minus neceſſarium erit.

Veteres, ad morbos arcendos, vomitoria uſurparunt. Haec autem e ſale, melle, oleove, conſtabant.

Ægyptii ſingulis menſibus, Graeci ſaepius, vomitum ſibi concitarunt.

Vomitus autem eorum, quae in ventriculo continentur, rejectio eſt. Ex contractione vero convulſiva, et motu periſtaltico ſtomachi et duodeni ſubverſo, muſculis abdominis et ſepti tranſverſi ſimul ſeſe contrahentibus, oritur. Inter vomendum, pylorus accurate conſtringitur, et exſpiratio, ne rejectum in aſperam arteriam illabatur, violenta cavet.

1. Emetica ventriculi contenta evacuant. Hinc praecipienda ſunt, ubi ventriculus nimis onuſtus, vel quod intus gerit vitiatum eſt. Hoc autem ſymptomata ſequentia demonſtrant: Appetitus cibi proſtratus, nauſea, anxietas, inquietudo, lingua ſordibus obducta, ſitis, ſapor oris, praeſertim horis matutinis, ingratus, capitis dolor, vertigo, repletio praecedens. Vomitoria, materiam acrem intus haerentem e corpore foras eliminando, in diarrhoea et dyſenteria, magnopere proſunt.

2. Secretiones diverſas, praecipue ſucci gaſtrici, ſalivae, et bilis, adaugent.

Obſtructiones viſcerum abdominalium et faucium, praeſertim partium quas impetus vomendi convellit, actione muſculorum abdomi-

dominis, et caeterorum, adaucta, amoliuntur. Propter contractiones convulſivas et violentas quas excitant, abſceſſus faucium et pulmonum rumpendi cauſa, interdum praecipiuntur. Ob eandem rationem, in partu protractiore, ictero, hypochondriaſi, nonnunquam ad ea decurritur.

3. Genus nervoſum ſtimulant, circuitumque ſanguinis accelerant; hinc vim abſorbendi vaſis lymphaticis augent, et omnes ſecretiones, praecipue diaphoreſin et expectorationem, intendunt. Igitur clarius indicantur, ſi torpor, paralyſis, ſymptomata perſpirationis obſtructae, determinatio morbida ad quamlibet partem peculiarem adaucta, congeſtio morbida, mania, apoplexia, expectoratio difficilis, tuſſis, adſint, vel urina parca ſive ſuppreſſa tentet.

4. Motum inteſtinorum periſtalticum acceleratum refraenare vel invertere poſſunt. Hinc in diarrhoea et dyſenteria effectus optimos edunt.

5. Spaſmum ſolvunt. Hinc multum proficiunt, ſi convulſiones partium quarundam

ven-

ventriculi vitiis oriundae, vomitus ſpontaneus et ſingultus invadant, ſi cutis dura et arida ſit, ſi corporis extrema frigeſcant, ſi rigor accedat. In exanthematis denique, pleriſque febribus, imprimis contagioſis, ſub omnibus illarum ſtadiis, praeſertim inter initium, et paroxyſmis inſtantibus, ad ea feliciſſime confugietur.

Emetica, ſaepius reiterata, tonum ventriculi laedunt, et cibi concoctionem imminuunt; et tandem neceſſe ſit, uſus eorum continuetur: "Commoneo tamen, inquit Celſus, ne quis, qui valere et ſeneſcere volet, hoc quotidianum habeat."

6. Impetum ſanguinis ad caput nimis adaugent, et aliquando dolorem violentum et ſtricturas convulſivas inducunt.

Quae uſum eorum vetant; aut ubi non abſque ſumma cautela adhibenda.

Haec autem omnia, ut ex toto repudientur, aut caute ſaltem uſurpentur, ſuadent:

1. Ex-

1. Extrema debilitas.

2. Plethora generalis.

3. Plethora capitis ſanguinea, topica; narium haemorrhagia.

4. Syſtema nervoſum admodum ſenſile et mobile.

5. Cervix longa, fauces anguſtiores.

6 Ventriculi aut inteſtinorum inflammatio.

Non ab illis ex toto abſtinendum eſt, uti plerique quondam hortati ſunt, quamvis adſint graviditas, phthiſis pulmonalis, ad ſputum ſanguinis proclivitas, menſium profluvium, dolorve capitis a vitio ventriculi oriundus; quo ſaeviente, cum fructu etiam nonnunquam in uſum vocantur.

Quae in emeticis exhibendis obſervanda et animadvertenda ſunt.

1. In plethora, praeſertim topica, ſanguis mittatur oportet.

2. Si

2. Si obſtructio removenda ſit, vomitorium horis matutinis, vacuo ventriculo, commodiſſime exhibetur, licet, tunc temporis, aeger exinde vehementius afficiatur.

3. Copia liquoris nimia haud ſemel in ventriculum congerenda; alioquin, ambobus orificiis ventriculi ſtrictura ſpaſmodica clauſis, vomitum impedit et niſus graviſſimos excitat.

4. Actio emeticorum, ab infuſo florum chamomaeli, cardui, raphanive ruſticani, ſeu decocto avenaceo, quam optime promovetur.

5. Emetica infantibus quam maxime conveniunt; quia morbis ventriculi ab acido plurimum patent, et quod illis, utpote qui minus convelluntur, multo facilius quam adultioribus, vomitus exſuſcitatur. Potus igitur, inter vomendum, pueris non aeque neceſſarius.

6. Vomitum moventia haudquaquam ſemper reiteranda ſunt, donec in contentis ventriculi nihil alienum appareat, praeſertim in febribus intermittentibus, aliiſque

mor-

morbis, ubi acidum et gluten morboſum praedominantur.

7. Emetica, doſibus talibus quales nauſeam tantum excitare valent data, effectus feliciſſimos edunt.

8. Opio, poſt operationem emetici praeſcripto, ſudor certius movetur.

9. Magis minuſve potens emeticorum actio ex ſyſtematis totius ventriculive torpore, vel ex contentis ventriculi, velut acido ſeu glutine, pendet.

His de emeticis in genere praemiſſis, quaedam, ad ipecacuanham proprie ſpectantia, jam exponenda ſunt; et morbi, in quibus olim adhibita fuerit, hodieve adhibeatur, indigitandi.

Ipecacuanha, prout emeticum eximium, tutum, et lene, laudibus ubique jam aliquamdiu concelebrata fuit; et priuſquam medici in morem antimonialia, qualia ſunt tartarus emeticus, portiunculis parvulis, praeſcribendi nuper illapſi ſint, omnia alia fere hujuſce generis medicamenta, praeſertim ea quae in corpus humanum effectus ſaepius admodum violentos

lentos et nocivos edunt, in exilium quaſi relegaverat.

Doſis Ipecacuanhae, quando cauſa vomitum excitandi datur.

Quantitas ſemidrachmae pulveris pro emetico plerumque nuper praeſcripta fuit; et olim medici pulveris drachmam, tincturae ſeſquiunciam, dare conſueverunt. Experientia tamen recentior, ſex grana pulveris ſubtilioris vomitum modice concitare, decem vero eundem effectum quem ſcrupulus unus duove editura eſſe, ſatis edocuit. Inter doſin minorem et majorem nihil aliud intereſſe videtur, praeterquam quod portiuncula parva tardius agit. Haec modus praeſcribendi hodiernus evincit. Cum vero doſis largior, abſque ullis incommodis, ingeri poſſit; copiam majorem forſitan aliquando dare conveniet, quo evacuatio ventriculi plenior, celerior, certior fiat.

Hocce

Hocce medicamentum, quanquam fere ſemper emeticum lenius et tutum ſit, adinſtar aliorum tamen emeticorum, in quibuſdam caſibus, violentius agit, et, doſi ordinaria datum, niſus magnos et vehementes ſaepius movet.

Incommoda, ipecacuanham in caſibus magnae debilitatis exhibitam concomitantia, D. Pye, medico Londinenſi, conſilium violentiam operationis illius, copia doſeos imminuta, compeſcendi, et ſimul tuto et facile vomitum aegroto, utcunque debili, certiſſime movendi, feliciter ſuggeſſerunt. Periculum primum votis reſpondit. Caſus complures enarrat, in quibus doſes ipecacuanhae parvulae effectus quam fauſtiſſimos praeſtiterunt; et ex omnibus tandem ita concludit: "Pulverem, a ſemigrano ad grana quatuor "aut ſex uſque, aegrotis, licet infirmiſſimis, omnis aetatis, utriuſque ſexus, ſub "ullo cujuſlibet morbi ſtadio, cum ſucceſſu proſpero et tutiſſime dari poſſe, et conſilio praeſcribentis, ſi proclivitas ad vomendum adſit, rariſſime non reſpondere."

Ipecacuanha medicamentum praeſens et efficax in morbis, ubi non vomitus ſolus requiritur, etiam ubi haudquaquam deſideratur, nonnunquam comperta eſt.

Methodus Ipecacuanha utendi apud Indos.

Indi hocce medicamentum, ob vires emeticas et catharticas, antidotum adverſus venena praeſens eſſe duxerunt, et multis igitur laudibus extulerunt. In morbos ab obſtructionibus inveteratis ortos, in diarrhoeam, dyſenteriam, et affectus ventriculi, multum poſſe credebant.

Ad quantitatem uſque drachmae unius pulveris, et duarum infuſi decoctive, dederunt.

Ipecacuanha ſub forma utraque apud Indiam exhibebatur; caeterum Braſilienſes uſum illius in ſtatu diluto aliis formis anteponebant.

Infuſum ex eadem copia radicis ſecundum, vel etiam tertium, bonos effectus edere conſuevit: Non vomitum vero tam copioſum ciebat,

ciebat, nec alvum adeo purgabat; magis tamen aſtringere ferebatur.

De Uſu Ipecacuanhae in Dyſenteria.

Laudes ipecacuanhae, ob vim in dyſenteria curanda efficacem, per multos annos, tota medentium cohors merito praedicavit. Indi dotibus antidyſentericis eam pollere primi repererunt; et experientia reiterata, ſaepius in hoc morbo plurimum profeciſſe, teſtatur.

Quidam, ut iis portiunculis, quae evacuationem per vomitum pleniorem eliciant, primum ſumatur, deinde copiâ granorum paucorum bis terve de die continuetur, ſuadent.

Celeb. Akenſide, qui nuper hoc argumentum fuſius tractavit, quantitatem unius grani, ex paucis drachmis aquae diſtillatae, utpote vehiculi idonei, dilutam, ſingulis ſex horis repetendam, praeſcripſit. Item exempla nonnulla, quae ſucceſſum hujuſce

rationis

rationis teſtarentur, in medium protulit; multa tamen dubitandi cauſa reſtat, num doſes necne hujus medicamenti, tam parvae, tantos effectus praeſtare queant.

Hoc hiſtoriis, quas in lucem edidit, objiciendum eſt, quod alia medicamenta, eaque non parum efficacia, qualia ſunt ſyrupus de meconio, &c. una cum ipecacuanha data ſint.

Certant medici, et adhuc ſub judice lis eſt, num ipecacuanha necne in dyſenteriam aliquid poſſit, dum nec nauſea movet, nec evacuationem, aut quemlibet alium effectum ſenſibus percipiendum, edit.

Quo tandem effectus cuilibet medicamento proprii pernoteſcant, res ſummi momenti eſt, ut per ſemetipſum, haud una cum aliis conſociatum, praeſcribatur.

Ratio agendi.

Quanquam inter auctores pleroſque de efficacia hujuſce officinalis in dyſenteria curanda

randa conveniat; ſententiae tamen de modo operandi, in quas ierunt, inter ſeſe admodum differunt.

1. Quidam bonos effectus, quos ex illa exhibita felices experti ſunt, viribus emeticis, catharticis, et item adſtringentibus, quae illi ineſſe exiſtimantur, attribuerunt.

2. Alii effectus ejus ſalutiferos ex parte gummoſa, quae inteſtina, muco ſuo jam abraſo, mucilagine molli obducit, pendere contendunt.

Huic autem theoriae poſteriori objici poteſt, quod, ſi virtutes illius ex parte mucilaginoſa aut gummoſa ex toto penderent, gummi aut mucilago pura, quae copia multo majore dari queat, aeque proficeret.

3. Auctores ipecacuanham, ſudorem et diaphoreſin promovendo, determinationem ad ventriculum minuendo, et eandem ad cutem augendo, ſalutares ſuos effectus edere putarunt.

Scriptor celebris, qui dyſenteriam nuper tractavit, actionem ipecacuanhae univerſam a vi emetica ſola oriri, contendit. Sin autem

ea,

ea, quae Akenſide obſervavit, vera ſint, non vomitum ſolum movendo, ſed aliis quoque rationibus, agit.

Hic medicus ingenioſus, haudquaquam opinionibus de operatione hujuſce remedii in dyſenteria curanda inveteratis contentus, dum ex parte viribus eam catharticis agere fatetur, facultatem itidem ei anodynam aut antiſpaſmodicam, qua tunicas tubi inteſtinalis modo ſingulari relaxat, aſſignat.

Ob haſce autem rationes hancce opinionem ſibi deſponſavit:

1. Quod doſis prima vel ſecunda aegrotum quaſi momento levavit; dum, interea temporis, faeces nullam mutationem ſubierunt, ſed aeque acres ac olim perſtiterunt.

2. Quod affluxum ſanguinis ea compeſcit et ſiſtit; quod ille a ſpaſmo inteſtinorum ſoluto oriri cenſebat.

3. Quod, ſecundum hancce theoriam, ſe optimam ipecacuanhae virtutis emeticae rationem reddere poſſe, exiſtimavit. Hanc autem, eodem fere modo quo opium, aqua tepida, oleum, et alia hoc genus antiſpaſmodica, vomitum excitare ſibi perſuaſum habebat.

Argumentum

Argumentum quidem mirandum, ea, quae convulſiones inducunt, ſpaſmum ſolventibus annumerari!

4. Poſtremo, quod ipecacuanha et opium conſociata ſudorem tam certo movent; quodque illa in aſthmate recidivo ſpaſmodico tantopere interdum proficiat, ubi hoc et omnia alia medicamenta communia nihil aegroto levaminis adferre potuerant.

Hae ſententiae principes ſunt, in quas, modum quo ipecacuanha agit explicandi cauſa, auctores ierunt. Ex omnibus autem argumentis, quae ad ſingulas ſuſtinendas adducta ſunt, rite conſideratis, nullam earum ſeorſum perpenſam auctoris ſui conſilio ſatis reſpondere patebit.

Maxime forſan probabile eſt, ipecacuanham virtutem ſibi propriam in curatione dyſenteriae nullam exercere, quae non ſibi cum aliis emeticis communis ſit.

Quandocunque contenta ventriculi ſolum evacuare nobis in animo ſit, huic conſilio quam maxime conveniet ipecacuanha: Et officio ſuo tutius et lenius, quam aſpera et potentiora ex antimonio praeparata, fungetur.

tur. Vomitionis tantum, quantum contentis ventriculi rejiciendis neceſſarium eſt, idque nec ſyſtemate toto multum concuſſo, nec irritato, nec diatheſi inflammatoria adaucta, movebit. Si vero ſyſtema totum afficere velis, haud aeque propoſito accommodatur; et, in hoc caſu, forſitan ad antimonialia, quorum ſtimulus per ſyſtema longius latiuſque diffunditur, magis confugiendum.

In dyſenteria, cum aliis medicamentis, qualia ſunt tartarus emeticus, rhabarbarum, opiumve, ipecacuanham conſociare, aliquando conveniet.

Ab ea, cum camphora conjuncta, effectus ſalutares, in eodem morbo, nonnunquam oriri dicuntur.

Multo plura de virtutibus ipecacuanhae, et de morbis in quibus uſus illius invaluit, ut quondam nobiſcum decrevimus, praedicari poſſent, niſi anguſtia temporis impraeſentiarum talia vetaret.

FINIS.